



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117832

§.20. Postrema Pars Missæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VI. A. C. 599. speciem Vini, quod admota fistula aurea attrahebant. Episcopi vero & Presbyteri Communionem populo deferebant sequentibus Diaconis, & speciem Vini distribuentibus. Ubi Viri in latere dextro communicaverant, Presbyteri ad lectus, in quo stabant foeminae, transibant. Quamprimum Papa Senatoribus Communionem præbere cœpisset, chorus Antiphonam ad Communionem, & Psalmum cantabat, dum omnis populus Communionem accepisset. Papa ad Sedem suam reversus, ibique adhuc quibusdam Clericis Communionem data, circumspiciebat, an omnes communicassent, & signo facto Subdiaconum iubebat cantoribus indicare, ut *Gloria Patri* cantarent, quo finito Antiphonam repetebant, & cessabant. Hæ Antiphonæ in Antiphonario S. Gregorii annotatae sunt, sicut eas hodieque dicimus; sed Psalmos, qui ibi sunt, non amplius dicimus.

§. XX.

Postrema Pars Missæ.

Antiphona decantata Papa de Sede surgens, & ad Altare accedens, non conversus ad populum dicebat ultimo *Dominus Vobiscum*, & Orationem, quæ a nobis Postcommunio, tunc autem Conclusio appellabatur. Ea in Sacramentario

tario S. Gregorii eo modo, quo illam in qualibet Missa recitamus, cum quibusdam aliis, ne eadem semper recurrat, adnotata est. Tum ex Diaconis unus, cui id Archidiaconus præceperat, Papam aspiciens expectabat signum, quo dato, dicebat ad populum: *Ite Missa est*, quibus verbis auditis omnes discedebant. Papa ad Sacristiam redibat, præcedente Thuriferario, & septem Candelabra portantibus, & descendens de Sede sua Episcopis, Presbyteris, & omnibus Fidelium ordinibus, sicut illam petebant, Benedictionem impertiebatur. De alia Benedictione in hac Missa Pontificali nullum extat indicium. Siquando alius Episcopus absente Papa Officium Divinum Romæ celebrabat, eadem observabantur Cæremoniæ paucis exceptis, nempe, in Papæ Cathedra non residebat, & primam Particulam, quam mittebat in Calicem, a Papa consecratam fuisse oportebat. Episcopus autem in sua Ecclesia celebrans omnia eo modo, quo Papa, peragebat.

Præter preces in Sacramentario an-
notatas erant & aliæ minus solemnes,
quas celebrans partim ante Missam, par-
tim ea durante dicebat. Ante Missam
dicebat preces prævias satis multas, cum
Ministris, tum antequam vestiretur, tum
cultum Sacerdotalem accipiens. Orabat
etiam

Sæculum VI.

A. C. 599.

Ord. 5. & 6.

Missa Illyr.

v. Menard.

Sacram. p.

166. & not.

p. 330.

v. Mabill.

comm. in fine.

etiam

Sæculum VI. etiam procedens ad Altare, & ubi illic
A. C. 599. pervenerat, cum Ministris Confessionem
 recitabat. Alias item preces dicebat,
 illo temporis intervallo quo Chorus Ky-
 rie, Gloria in excelsis, Graduale, &
 reliqua cantabat. Rursus orabat, prius-
 quam Oblationes reciperet, dum eas re-
 cipiebat, & postea. Rursus cum Incen-
 sum benediceret, & Incensum offerret.
 Fidelium præsentium precibus se com-
 mendabat dicens: *Orate Fratres!* in
 Communione quoque pro se & aliis o-
 rabat, tandem Gratias Deo agebat, eas
 ferme preces dicens, quas etiamnum in
 reditu dicimus. Habemus quidem an-
 tiquas harum precum collectiones; quæ
 vero illius ævi, quo S. Gregorius exiit,
 esse non creduntur.

§. XXI.

Cantus Gregorianus.

Post illa, quæ ad Missam & ad Eucha-
 ristiam pertinent, in Sacramentario
 S. Gregorii, & in Ordine Romano con-
 tinetur etiam Ritus conferendi Bap-
 tismum, & ordinandi, quorum Sacrame-
 torum Cæremonias superius retul-
 imus. S. Gregorio satis non fuit preces dice-
 das præscribere, sed etiam cantum de-
 finivit, atque ut eam artem ad posteros
 quoque propagaret, Romæ Cantorum
 scholam fundavit, exinde post annos tre-
 centos

Sup. Lib.

XXX. §. 42.

43. 44.

Jo. Diac. II.

c. 6.